

Ad potentissimam & serenissimam Do-
mum Neoburgico - Palatinam.

SAlve Progenies Neoburgica, cognita Divis,
Electoratu splendida, nata Thronis,
Quanta micas terris ! sceptris es sacra, mitrisque,
Non alia in gente est tam bene notus honor.
Illustres Heroum animas , vestigia magni
Sanguinis, & celebris tot Decora alta Domūs
Quis non miretur ! quæ longi stemmatis ortum ,
Claraque majorum nomina Musa canat ?
Quis decus à Proavis meritum, virtutis avitæ
Lucem, magna togæ lumina, magna sagi ,
Spes amplas Generis , celsa de Stirpe Nepotes,
Læta tot à sæclis parta trophæa sonet ?
Si modò conspicuam virtus, & gloria seſe
Terris sifstat, in hac cernerem utramque Domo.
Quà jubar occiduo condit sub marmore Titan ,
Quà rubet eoo candida sole dies,
Europæ applausu summo, cælique favore
Fama Palatinæ fertur in astra Domūs.
Ortus splendorem, cunabula sanguinis alti
Sæcula prisca canunt, sæcula nostra stupent.

A ij

Quot

Quot cellos habet ille Duces, quot sceptra decorat,
Quot Reges, & quot Stirps genitura Duces!
Et Nati Natorum, & qui nascentur ab illis,
Virtute Europam, mente, manuque regent,
Tot Reges genuisse parum quis credat, & inter
Tot titulos sceptris vix tribus esse locum?
Hanc Superi servate Domum, servate Nepotes,
Masculæ & nostrum prole beate Ducem.
Passibus ambiguis alibi fortuna deerret,
Ast hic instabilem nesciat illa pedem.
Floreat ut Domus hæc, posthac, Mors improba, pone
Falcem, Mavortis sed Dea, pone facem.
Quod dedit illa aliis, dent illi fidera Stirpi,
Nam dare quod possint, nil puto majus habent.

Ad Potentissimum & Serenissimum JOANNEM GUILIELMUM

Comitem Palatinum Rheni, Sacri Romani Im-
perii Architheatuarium, & Electorem &c.

Maxime Dux salve, Neoburgæ gloria gentis,
Atque Palatinæ lumen, honorque Domus.
Non ea vis animo, dignè ut decora alta perennem,
In Te quæ laudat Rhenus, & Ister amat.

Inde-

Indefessa tuas posthac tamen ora resolvam
In laudes, Musis omnia solus eris.
Meccenas valeat, valeat quoque Cæsar, amicus
Pindi, Patronus Vatis, utrumque refers.
Cur quæram plures? Princeps mihi sufficis unus,
Tu mihi Meccenas, Tu mihi Cæsar eris,
Dum Musæ vivent, Princeps, tua gloria vivet,
Nam genium Musis, ingeniumque facis.
Te Stirps celsa Ducem, Te felix fama celebrem,
Te virtus magnum, mens facit alta gravem,
Digna coronari virtus, dum penè coronas
Europæ cunctas occupat una Domus.
O nimium dilecta Deo, tot splendida sceptris
Progenies, Reges tot paritura solo!
Quàm bene, Dux, tantæ caput, atque es gloria Stirpis?
Te columen noscit quàm bene tanta Domus!
In Te magnanimi vivunt decora ampla Parentis,
Hæredem pietas gaudet habere suum.
Gaudemus, magno Te successisse Parenti,
Cùm virtute, animo, sitis uterque pares.
Frater es Augustæ, Reginarumque duarum,
Addemus titulis quid, GIJILIELME, tuis?
Da Patriæ hæredes, titulis titulum adde paternum,
Addere dūm decori nil potes ipse tuo.